

1608. d. 27. Julii.

Littere Cessionales Sacrae Caesaris
Majestatis

Nos Rudolphus memorie commen-
davimus tenore presentium significan-
tes quibus expedit universis, quod cum
nobis ab initio statim et cetera om-
nia prout in superioribus literis usque
ad illa verba insignibus et titulis &
Deinde: Quibus sic constitutis primo
omnium ab ipso iuramento servanda
nobis fide et fidelitate tanquam le-
gitimo et coronato eorum Regi et Do-
mino nosmet ipsos quod tempore pro-
fate inaugurationis et coronationis
nostrae in Regem Hungariae super
libertate et privilegiorum suorum ob-
servatione solenniter praestitimus exone-
ramus, alleviamus, et eximimus, ut
postea supradictos universos fideles
subditos nostros Hungaros videlicet
dominos Prelatos, Barones, Magna-
tes, Nobiles, ceterosque status et ordi-
nes eiusdem Regni nostri Hungariae
Regnorumque et Provinciarum subie-
ctarum et annexarum ea conditione,
eorum quoque iuramento servanda no-
bis fide et fidelitate tanquam legiti-

191
65

legitimo et coronato eorum Regi et
Domino eodem tempore et post presti-
to clementer liberamus, condonamus
et absolvimus, ut dictum Serenissimi
fratrem nostrum Mathiam secundum
vestram ad status et ordines eiusdem
Regni Hungarie scriptam recommen-
dationem in futurum suum Regem ac
ceptare, coronare possint ac debeant.
In quorum omnium fidem et testimo-
nium, presentes literas nostras ma-
nus nostre subscriptione ac mino-
ris sigilli nostri appensione, quo ut
Rex Hungarie utimur munitas,
dandas et concedendas duximus. Da-
tum in Arce nostra Pragensi die vi-
gesima Septima mensis Julii Anno
Domini Millesimo Sexcentesimo
Octavo.